

vit, inurere oportet. Per buxeos autem fusos oleo ferventi intinctos  
ustionem facito, eosq, donec rectè habuerit, usque perfecta fue-  
rit, admoveo. Aut per fungos odlo crassos inurito. Si enim ustio  
successerit, sanum reddes, ac deinceps facilius deget. At si ustio minimè  
successerit, de cætero, nisi per alia remedia convalescat, consumtus  
perit. Addit 7. aph. 43. Quibus purulentum hepar aduritur, si  
purum pus effluat, & album, salvi fiunt, in tunica enim ipsius pus  
continetur, sic verò qualis amurca profluat, intereunt. Medicus Ve-  
netus, referente Hieron. Capivaccio l. 3. pract. c. 3. jecoris pus,  
adapertò novaculâ ejus loci abdomine feliciter quoque eduxit,  
ægrotumq, servavit.

5. Gangrenâ jecoris parenchyma cùm ab aliis caussis,  
cùm interdum à variolis ibi prorumpentibus corripitur. Exem-  
pla habet Gregorius Horstius in Epistol. Medicinal. de Episcop. Hal-  
berstadiense, & quodam Landgravio Juniori, variolis demor-  
tuis.

6. Vulnera in parenchyma huius visceris profundius se  
extendentia, ita ut vasa tangant, sunt lethalia; cætera verò su-  
perficialia interdum sanari possunt, imò particulâ in superficie  
planè resectâ quosdam restitutos esse testatur Hildanus Cent. 2,  
observ. Chir. 34. & Cent. 4 2.

7. Paracelsus hinc sua quoque somnia venum exponit cre-  
dulis; quæ autem oculatâ die nemo emet: hepar enim in mor-  
te scissuras facere dicit: item scissuris in eo existentibus in hy-  
drope, pedes tumentes quoque scissuris affici, & tum mortem  
esse in propinquò Tract. de Tartarò 2. l. 2.

8. Hepatis substantia aliquando lapillis durioribus quasi  
concrefcere cernitur, teste Forestò. observat. Lapillos tesserarum  
figuram repræsentantes, & instar marmoris variegatos quam-  
plurimos è Chiliarchæ cujusdam uxoris cadavere hepate ex-  
emptos vidimus. Meminit etiam Dodoneus, se nonnullorum,  
qui ab ictero in Ascitem delapsi erant, jecinora vidisse adeò du-  
ra, & lapillis undique plena, ut novaculâ percindi non potue-  
rint. Planè lapidefactum jecur vidit Vesalius, quod in epistolâ  
de Chinâ commemorat.